



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio LI. De divinarum Personarum cognoscibilitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

*Item exem-
plis variis
ostenditur.*

creatis videmus, quamvis principium formale pro-
ductivum Verbi creati, sit intellectus, id tamen per
quod immediatè producitur, non est intellectio, sed
actio physica, quæ non est representativa ob-
jecti, ergo idem suo modo est in divinis. Sic etiam
in aliis, licet principium formale, seu quo ignis
producit calorem, sit calor, illud nihilominus, per
quod immediatè producitur calor, est actio, ut
constat.

III.
*Dua in Deo
sunt proces-
siones reales.*

Infero secundò, duas in Deo dari processiones
reales. Hæc illatio est fide certa, Joannis enim 8.
& 15. Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre
& Filio dicitur procedere. Eadem etiam veritas
in Concilio Niceno est definita. Et quidem de
processionibus passivis, res est extra controver-
siam, sicut enim Personæ ipsæ, Filius nimirum &
Spiritus Sanctus inter se realiter distinguuntur,
ita & processiones passivæ per quas producuntur,
utpote quæ cum iis realiter identificantur. Quid
autem dicendum sit de processionibus activis,
à quæstione illâ pendet, quo pacto scilicet spiratio
activa distinguatur à Paternitate & Filiatione,
cùm, ut habetur in Concilio Florentino in literis
unionis, Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedat
tanquam ab unico principio, seu uno spiratore, de
quo dicitur infra.

IV.
*In divinis
duæ tantum
sunt proces-
siones.*

Infero tertio, duas tantum esse in Deo proces-
siones. Hoc etiam est de fide, per quam nobis
credendum proponitur esse tantum duas Personas
procedentes; ergo plures esse nequeunt quàm duæ
processiones, per quas scilicet procedant. Ratio
hujus optima est, quam assignat S. Thomas hic
q. 27. art. 5. Processiones quippe per illos actus
sunt, qui sunt proprii intellectualis naturæ; in natu-
rà autem intellectuali duæ tantum sunt facultates,
ad intra operativæ, intellectus scilicet &
voluntas, & duplex series actionum immanen-

*Ratio hujus
rei à Divo
Thomâ assi-
gnata.*

tium iis correspondentium; quam etiam rationem
ad hoc probandum afferunt passim Theologi;
Halenfis, D. Bonaventura, & alii.

Dices, hoc quidem argumento ostendi, non
posse dari in Deo plures processiones quàm duas,
specie distinctas; eo tamen non obstante viden-
tur plures dari posse, solo numero distinctæ, seu
plures ab intellectu, & plures à voluntate proce-
dentes. Negatur tamen sequela: fide enim cer-
tum est, non esse in Deo plures Patres, nec plu-
res Filios, nec plures amores procedentes; quic-
quid autem in hoc genere est possibile, defacto
datur, cùm hæc operationes sint necessaria. Va-
rias rei hujus affert rationes S. Thomas citatus.
Præcipua est, unaquaquequæ liquidem processio, ne-
cessaria cùm sit, agit quantum potest: ac proinde
intellectio producit terminum sibi adæquatum,
seu Verbum perfectissimum, per quod scilicet re-
presententur omnia, quæ Deus cognoscit.

V.
*Dari ne-
queunt in
Deo plures
processiones,
quàm dua,
etiam nu-
mero disti-
cta.*

*Optimus
D. Thomæ
discursus.*

VI.

Urgebis: hinc sequi non esse duas in Deo pro-
cessiones, sed unam tantum, hæc enim adæquata
esset virtuti infinite. Respondetur, per unam
processionem realem salvari non posse, quo pacto
sunt tres Personæ; impossibile enim est per unum
distinctivum, plures Personas distingui, cùm per
Processiones, proprietates distinctivæ Personarum
constituuntur. Deinde, si unica tantum sit
Processio, quo pacto verum erit unam processio-
nem esse generationem, aliam non esse: item qua
ratione una Processio erit ab unicâ tantum Personâ,
alia à duabus, & id genus alia, quæ absque
duabus processionibus explicari omnino non pos-
sunt. Utraque ergo Processio est in proprio ge-
nere infinita, & habet terminum in suâ ratione
formali sibi adæquatum: necessarium tamen est ut
sint duæ, ob rationes proximè positas.

*Per unicam
processionem
salvare ne-
quit myste-
rium Trini-
tatis.*

*Ostenditur
plures esse
debere Pro-
cessiones,
quàm unâ.*

DISPUTATIO LI.

De Divinarum Personarum cognoscibilitate.

SECTIO PRIMA.

Positne solo lumine naturali Myste- rium Trinitatis cognosci.

I.
*Lumine na-
turali cog-
nosci nequit
mysterium
Trinitatis.*

DIVINARUM Personarum in unâ
numero naturâ, seu essentiâ Trini-
tatem non posse quemquam natura-
li lumine cognoscere, communis
est Theologorum sententia. Eam
tenet S. Thomas hic, q. 32. art. 1. ubi etiam idem
docet Cajetanus, Molina, & alii: Valentia 1. p.
Disp. 2. q. 6. p. 1. Suarez hic, lib. 1. de Trin.
cap. 11. Vasquez 1. p. d. 133. Idem ex antiquis do-
cet S. Bonaventura in 1. dist. 3. art. 1. q. 4. Sco-
tus quodl. 14. Halensis 1. p. q. 2. memb. 1. art. 3.
& alii.

II.
*Scriptura
& Patres
docent, non
posse Trini-
tatem natu-
raliter cog-
nosci.*

Hoc in primis docent ipsæ Sacræ Literæ: sic
Proverb. 30. v. 4. dicitur. Quod nomen est ejus, &
quod nomen Filii ejus, si nosci? In quæ verba sic scri-
bit S. Hieronymus: De Dei Patris, & Filii nomine
dicit, ejus mysterium secularis sapientia naturaliter
scire non potest, quamvis unum esse Deum intelligere po-
r. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

test. Item Matth. 11. v. 27. dicit Christus: Ne-
mo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit,
nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Capite
etiam 16. v. 17. Petro Christi divinitatem confi-
tenti, dicentique cum esse Filium Dei, respon-
det Christus: Beatus es Simon Bariona, quia caro,
& sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cae-
lis est. Circa quod Christi dictum varia in hanc
rem affert Divus Thomas in Catenâ, Sanctorum
Patrum dicta. Hormisda etiam Pontifex cap. 1.
Epistolæ ad Justinum Imperat: Secretum, inquit,
Trinitatis, neque ulla visibilium, vel invisibilium crea-
turarum potuit investigare natura. Denique, ut
alios omitam, S. Augustinus 15. de Trinitate,
cap. 6. Quis, inquit, disputandi modus, quem
tandem vis intelligendi, atque potentia, quæ vivacitas
rationis, quæ acies cogitationis ostenderet hoc unum,
quod dicitur, quod modo sit Trinitas. Alia Sancto-
rum Patrum testimonia videri poterunt apud au-
ctiores citatos.

*S. Hierony-
mus.*

S. Thomæ.

*Hormisda
Pontifex.*

*S. Augusti-
nus.*

III.

Ratio hujus rei optima est, quam affert San-
ctus Thomas hic q. 32. art. 1. Corp. Homo enim
(idem est de Angelo) per rationem naturalem
ad Dei cognitionem pervenire nequit, nisi per
creaturas

*Deus natu-
raliter non
cognoscitur,
nisi per crea-
turas, sicut
non nisi per
creaturas.*

creaturas, tanquam per effectus, creaturæ autem in Dei cognitionem non ducunt, ut Trinus est, sed ut unus; producuntur enim ab omnipotentia, quæ omnibus tribus Personis est communis.

IV. Quidam ex antiquis Philosophis mentionem faciunt Trinitatis.

Dices, ab antiquis Philosophis, fidei lumine destitutis, hujus mysterii non semel fieri mentionem, ergo naturali lumine potest dignosci: antecedens probatur, Plato enim in Epimenide ait esse in Deo *divinissimum Verbum*, per quod omnia fecit & ordinavit. Similia de Trinitate habent alii Philosophi, ut refert Clemens Alexan. Justinus Martyr, Cyrillus Alexandrinus, & alii. Inter quæ celebre est dictum illud Trismegisti in libro qui inscribitur Pimander, dialogo quarto: *Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem.* Unde Augustinus Eugubinus libro primo de perenni Philosophiâ plurimos ex Philosophis refert, qui Trinitatem videntur agnovisse.

V. Vnde aliqui Trinitatis notitiam hausierunt Philosophi.

Respondetur, hos Philosophos, Trismegistum præcipuè & Platonem, aliquam habuisse Trinitatis notitiam, illam tamen, non ratione naturali acquisivisse, sed vel ex aliquâ veteris testamenti parte, quæ ad eorum venire manus poterat, hausisse; vel accepisse à Sybillis, quæ haud dubiè circa varia fidei mysteria, cælitus fuerunt illuminatæ; vel denique à majoribus traditam sibi habuisse; hoc enim mysterium primo parenti fuit revelatum, ejusque notitia ab eo ad posteros transmissa.

VI. Haberi nequit evidens naturalis notitia Trinitatis per speciem à Deo infusam.

Dico secundò: non solum per discursum ex vî nativâ intellectûs habitum, seu ex rebus naturalibus deductum, comparari non potest evidens cognitio Trinitatis, sed nec per speciem propriam naturalem à Deo homini vel Angelo infusam: ita Theologi passim contra Scotum in 4. dist. 49. q. 11. Ratio est, tum quia species propria rei, cum sit naturale illius instrumentum, ejusdem esse ordinis debet cum objecto: Deus autem ut trinus, objectum est planè supernaturale, ut per se videtur manifestum: ergo & propria illius species, supernaturalis sit oportet, & consequenter cognitio ab hac specie producta, erit similiter supernaturalis; ad actum quippe naturalem sufficit unum principium supernaturale, ut constat.

Species propria rei, esse debet ejusdem ordinis cum ipsa re.

VII. Omnis cognitio habitata per propriam speciem, est intuitiva.

Probatur secundò: Cognitio omnis, quæ habetur per propriam speciem, necessariò est immediata & intuitiva, videt enim objectum illud sicuti est, ergo cognitio Dei, quæ haberetur per propriam illius speciem, esset intuitiva, videret quippe cum sicuti est: hinc autem ulterius inferitur hujusmodi visionem Dei quidditativam naturalem implicare, foret namque, ut dixi, intuitiva, sicque creatura rationalis per visionem in entitate naturalem esset beata.

VIII. Sine revelatione, ne probabilis quidem haberi potest Trinitatis notitia.

Dico tertio: sine revelatione, non evidentem tantum, sed ne quidem probabilem posse quemquam acquirere Trinitatis notitiam. Ratio eadem est cum illâ, quam supra numero tertio adduxi: cum enim creatura rationalis non alio modo Deum cognoscat, quam ex creaturis, nullumque in rebus creatis sit vestigium, unde quis, vel probabiliter deducat, posse rem unam, aliam secum realiter identificatam producere, nullum etiam in creaturis esse potest tanti mysterii indicium. Imò, ut ait Suarez lib. 1. de Trin. cap. 11. num. 11. nemini, ex mero naturæ lumine, hoc vel per conjecturam aut suspensionem in mentem unquam venire potest, cum nullum in naturâ sit medium, vnde hæc suspicio seu apprehensio oriatur.

Nec apprehensio Trinitatis sine revelatione haberi potest.

IX.

Addo nihilominus, licet divinissimum hoc my-

sterium sit supra, non tamen esse contra rationem naturalem. Probatur, nam veritas veritati esse nequit contraria: ratio autem naturalis probare nihil potest, nisi veritatem: ergo nihil verum probare potest contrarium Trinitati; sic enim verum vero esset oppositum, quod implicat. Deinde Deus in operando non est contrarius sibi in existendo, ergo nihil efficere potest, unde per naturæ lumen probari queat eum non esse in Personis Trinum; sic enim Dei opera, ejus existentie essent opposita. Quo autem pacto Principium illud, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, huic mysterio non obstat, dicitur postea.

Mysterium Trinitatis est supra, non contra rationem naturalem.

SECTIO SECUNDA.

De cognitione Trinitatis, quæ haberi potest per revelationem.

TANQUAM omnino certum tenendum est, posse hoc mysterium à Deo homini vel Angelo revelari, tum clarè in patriâ per visionem beatificam, tum in viâ per fidem, quâ, obscure quidem, verè tamen Trinitatem cognoscimus.

I. Mysterium Trinitatis potest à Deo revelari.

Quando ergo nonnulli ex Sanctis Patribus affirmant, per istiusmodi revelationem non produci in nobis mysterii hujus cognitionem; imò interdum asserunt, Deum in hac viâ à nobis ignorari potius, etiam si in eum credamus; qua ratione loquitur S. Dionysius cap. 7. de divinis nominibus, & libro de mysticâ Theologiâ: Patres, inquam, dum hoc dicunt, solum volunt per revelationem non generari in nobis cognitionem Dei prout in se est. Unde sicut respectu existentie Dei dicuntur creaturæ non esse, ita respectu perfectissimæ illius revelationis, visionis, inquam, beatificæ, quæ habetur in patriâ, obscura hæc cognitio Dei, quæ habetur in viâ dici comparative potest nulla. De re autem constat, fidem de Deo verè cognitionem ejus aliquam in nobis generare; per eam namque judicamus Deum esse, & de variis illius attributis discurremus. Quare passim appellatur lumen fidei, ac per eam dicuntur hominum mentes illustrari, & 2. Pet. 1. v. 19. vocatur *lucerna lucens in caliginoso loco*: quæ omnia denotant cognitionem in nobis aliquam, etsi obscuram, per fidem produci.

II. Quo similia dicant Patres Deum in hac viâ à nobis non cognosci.

Fides in nobis generat Dei cognitionem.

Præcipua itaque difficultas est, utrum factâ sublimis hujus mysterii revelatione, possint humani ingenii viribus argumenta reperiri, quæ Trinitatis possibilitatem, & consequenter existentiam, demonstrent, & ad quoscunque infideles hac in parte convincendos sufficiant. Hoc inprimis sentire videtur Richardus de S. Victore lib. 1. de Trin. cap. 4. & idem docere videtur Henricus Quodlib. 8. q. 14. & Quodlib. 12. q. 2. Omnium verò maxime id probare nititur Raymundus Lullius, qui in suis libris sæpè putat se evidenter Trinitatem demonstrare, ita ut, inquit, per illas demonstrationes Gentilis, & Paganus convincendus sit, si ad eas velit attendere, easque penetrare valeat. De quo proinde, ejusque demonstrationibus paulò hic fusiùs agendum.

III. Primum supposita revelatione istiusmodi monstrari potest Trinitas.

Quoniam docuerunt demonstrari posse Trinitatem.

Fuit itaque Raymundus Lullius natione Catalanus, vel ex insulâ Majoricâ, ut ait Bellarminus. Hic cum in juventute mercaturam aliquamdiu exercuisset, literarum penitus ignarus, se in solitudinem recepit, ubi tum de divinis tñ humanis rebus

IV. Quædam circa Raymundum Lullium, ejusque scripta annotantur.

rebus libros viginti scripsit, in quibus, ut ait Gerfon Alphab. 16. lit. D. multa altissima, & verissima continentur. Hic postea in Africam profectus, dum, inquit Mariana lib. 15. de rebus Hisp. cap. 4. predicandi, monendique nullum finem faceret, lapidibus obrutus interit, ejusque corpus in majorem ex Balearibus (unde, ut vidimus, nonnulli eum originem traxisse existimant) translatum, in summâ habetur veneratione.

V. De Raymundi nihilominus doctrinâ non levis fuit inter scriptores controversiâ. Ipse divinitus, imagine Christi cruci affixi ei apparente, illam se hausisse asserit; alii à dæmone delusum fuisse affirmant. Nonnulli Bullam contra Raymundi doctrinam à Gregorio II. operâ Aymerici inquisitoris editam esse dicunt, & in eâ quingentos ejusdem Raymundi errores damnatos. Alii bullam illam, non à Gregorio confectam, sed ab Aymerico confectam fuisse asserunt, cum post factam diligentem inquisitionem, Bulla illa in registro Bullarum Pontificiarum nunquam inveniri potuerit. Videatur Vasquez 1. p. Disp. 133. cap. 4. ubi hæc latius profequitur.

VI. Sed quicquid sit, utrum doctrina Raymundi in quibusdam velut erronea damnata sit necne, qua de re nec in unam partem nec alteram satis constat; rationes certè illæ, quibus Trinitatem se evidenter demonstrare existimat, nullius momenti sunt, sed id semper supponit quod erat probandum, ut jam videbimus.

VII. Arguit itaque, Ubi est concordia, est pluralitas: sed in Deo est concordia, nam est in eo actus: inter actum autem & agentem est concordia, ergo & pluralitas. Sed contrâ, supponit enim id quod nullo modo lumine naturali est evidens, sed solâ fide innotescit, esse scilicet in Deo actum, qui sit productio: esto namque evidens sit Deum intelligere & velle, per lumen tamen naturale solum judicaremus hoc eum facere per suam substantiam, & in genere quasi causæ formalis, non efficientis, seu per productionem, maxime terminî à se realiter non distincti.

VIII. Nec quidquam probat id, quod ad hoc ulterius ostendendum asserit Lullius, nempe in Deo esse bonitatem, ergo, inquit, est bonificativum; bonificare, & bonificabile, ergo inter hæc datur concordia, ergo pluralitas &c. Hæc, inquam, mera sunt verba, nec probant dari in Deo actum notionalem, & productionem Personæ, aut distinctionem realem inter bonificativum, bonificare, & bonificabile, sed solum distinctionem rationis; dicit enim Gentilis hæc omnia esse in Deo indistincta, & ut proximè dixi, in genere quasi causæ formalis, non efficientis.

IX. Hinc infero, loquendo hoc sensu, non esse propriè in Deo concordiam inter bonificativum & bonificabile, sed identitatem: impropriè tamen dici potest concordia, eo modo scilicet quo est distinctio, nempe ratione. Adde, concordiam non tam arguere distinctionem Personarum, quam voluntatum: cum ergo inter Personas divinas sit eadem voluntas, est inter eas unitas voluntatis, non concordia strictè dicta. Inter Filium quidem ut hominem, & Patrem est propria concordia; & inter Filium ut hominem, secum ut est Deus propter duas diversarum naturarum in eadem Personâ voluntates.

X. Nec plus probat argumentum, quo ad Personarum in divinis Trinitatem ostendam utitur. Illam scilicet essentiam esse in majoritate actionis, seu perfectissimam in agendo, in qua sufficit uni-

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

ca actio, unica passio seu unum productum, & unicus actus: sed divina essentia est in majoritate actionis, seu perfectissima in producendo: ergo in ea est una actio, unum productum, & unus actus. Sed contrâ: hoc enim tantum abest ut probet Trinitatem, ut etiam destruat; in Deo namque non est unum tantum, sed duo producta, seu duæ Personæ productæ, Filius nimirum & Spiritus Sanctus, ergo vel hinc constat, argumentationem illam esse malam, & falsissimam in se continere doctrinam. Hæc sunt præcipua, quæ ad Trinitatem demonstrandam asserit Lullius; alia minoris momenti omitto. Videatur Vasquez hæc, disp. 133. & Tannerus 1. p. disp. 4. q. 1. dub. 2. num. 1. & sexto.

Quæres, utrum contra Autotheanos (de quibus disputatione præcedente, sect. 1. num. 1.) ostendi lumine naturæ possit, impossibile esse in Deo Trinitatem Personarum, nisi una ab aliâ procedat. Respondetur, quamvis præcipua hujus probatio pendeat à fide, posse nihilominus ratione naturali ostendi: omne enim prædicatum absolutum, nullam in se involvens imperfectionem, est perfectio simpliciter simplex: sed omne Dei prædicatum absolutum est perfectio nullam involvens imperfectionem: ergo omnia ejus prædicata absoluta sunt perfectiones simpliciter simplices: notio autem perfectionis simpliciter simplicis, ut cum communi Theologorum sententiâ supra vidimus, est, quod melior sit ipsa, quam non ipsa in quolibet subjecto: cum ergo prædicata absoluta sese invicem non excludant, ubicunque est unum ejusmodi prædicatum, sunt omnia: ergo Personæ constantes ex solis proprietatibus absolutis, nequeunt esse distinctæ, cum omnia eadem habeant prædicata.

Dices, tres illæ Personæ non constant solis prædicatis absolutis, sed etiam relationibus, non quidem originis, ita scilicet ut una Persona aliam producat, sed relationibus disparatis. Hoc tamen dici non potest: primò enim secundum hunc modum procedendi, non tres tantum, sed aliæ & aliæ in Deo statui Personæ possent in infinitum.

Deinde, nullæ relationes, præter relationes originis ad Personas in Deo distinguendas sufficiunt; relationes enim similitudinis, æqualitatis, propinquitatis, & distantie, Personas non primò distinguunt, sed aliunde distinctas præsupponunt. Præterea hæc suppositis conveniunt ratione essentia; essentia enim petit esse ubique, habere æqualem virtutem &c. ergo hæc rationes proveniunt à prædicato absoluto, & omnibus communi: ergo per has distinguî nequeunt Personæ.

SECTIO TERTIA.

Quot in divinis sint notiones.

DIXIMUS per fidem & revelationem cognosci posse Personarum in Deo Trinitatem: nunc ergo ad notiones, seu prædicata, per quæ divina Personæ internoscuntur, procedendum, earumque ratio & numerus investigandus.

Notio itaque est aliquid, ita in divinis Professionibus fundatum, ut nos in Personarum notitiam ducat, efficiatque ut illas cognoscamus, & unam distinguamus ab aliâ. Ex quo aperte constat notiones in divinis consistere non posse in prædicato

In Deo non est una tantum, sed duæ Personæ productæ.

XI. An contra Autotheanos lumine naturæ probetur non posse tres divinas Personas esse à se.

XII. Dices, tres illæ Personæ non constant solis prædicatis absolutis, sed etiam relationibus, non quidem originis, ita scilicet ut una Persona aliam producat, sed relationibus disparatis.

XIII. Nulla relatio, præterquam originis, ad distinctionem Personarum sufficit.

I. Ad cognoscibilitatem spectant notiones.

II. Quid in divinis sit notio.

prædicato aliquo absoluto: prædicata enim absoluta, cum omnibus Personis sint communia, in nullius nos Personæ ducere possunt cognitionem.

III. *Notiones in Deo omnino sunt statuenda*

S. Thomas 1. p. q. 32. art. 2. ait Præpositivum negasse ulla in Deo statuendas esse notiones. Quam etiam sententiam amplectitur Gregorius in 1. dist. 26. q. 1. art. 2. Dicendum tamen nullo modo negandas esse in Deo notiones: ita Sanctus Thomas proximè citatus, & cum eo communis Theologorum schola. Ratio est: in singulis quippe Personis est aliquid peculiare, per quod & à se invicem distinguuntur, & nos in earum cognitionem devenimus, sed hic est conceptus notio- nis ut vidimus, ergo.

IV. *Notiones in divinis numerari solent quinque.*

Circa numerum notionum, quinque commu- niter à Theologis recensentur, *Paternitas, Filiatio, Processio, Spiratio activa, & Inmascibilitas.* Et quidem de tribus primis relationibus dubitari nequit, quin sint notiones, cum per eas constituentur Personæ. Idem etiam satis clarum videtur de Spi- ratione activâ, Patri simul & Filio communi: quamvis enim per hanc relationem Pater distin- gui nequeat à Filio, nec ut distinctus cognosci, uterque tamen per eam cognosci potest ut distin- ctus à Spiritu Sancto, cum per eam constituatur unus Spirator; seu unum Spiritus Sancti Prin- cipiun.

Tota itaque difficultas est de *Inmascibilitate*; V. hæc namque si sit notio Patris, plures erunt no- tiones, quam quinque; eodem enim modo *Inspi- rabilitas* in Filio erit notio Filii, eamque esse illius notionem censet Scotus in 1. dist. 28. & alii, cum non minus sit proprietas Filii, quam *Inmascibilitas* proprietas Patris. Imò nonnulli existimant plu- res adhuc assignari posse notiones, ut rationem *improductivi* in Spiritu Sancto, hoc enim non mi- nus ei peculiare est, quam *Inmascibilitas* Patri, sic- que septem statuunt notiones. Nec in hoc, in- quiunt, quidquam est incommodi: sicut enim numerus notionum quinarius non fuit semper in scholis receptus, sed pauciores aliquando cense- bantur, quam quinque; ita & ætiamnisi poterit augeri.

Non tamen recedendum à communi sententiâ, VI. peculiaris enim est ratio cur *Inmascibilitas* sit notio, Peculiaris est ratio, cur *Inmascibi- litas* sit notio, quod ob auctoritatem Patrum, qui per eam non semel Patrem describunt, ut S. Augustinus lib. 5. de Trinitate, cap. 6. *Alia, inquit, notio est, quâ intelligitur genitor, alia quâ ingentur.* Deinde, non omnino produci, peculiarem sonat dignitatem. Tertio ad rectam hujus mysterii intelligentiam spectare videtur, ut una in eo concipiatur Perso- na, quæ in se omnino improducta, origo sit re- liquarum. De *Inmascibilitate* plura postea, dum peculiariter agetur de Personâ Patris, Disp. 63. sectione secundâ.

DISPUTATIO LII.

De Divinis Relationibus.

SECTIO PRIMA.

Vtrum in Deo sint Relationes reales.

I. *Dei in Deo relationes certum est.*



ARI in Deo relationes reales con- cers est Theologorum sententia, cum S. Thoma hic, q. 28. quam- vis Okcamus & Gabriel hac de re videantur dubitasse. Hoc primò constat ex Scripturâ, ubi Personæ divinæ nominibus relativis Patris, Filii &c. signi- ficantur: sic Matthæi ultimo, v. 20. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Idem in variis Conciliis, & Patribus habetur, ut in Toletano II. in Confess. Fidei, *In relativis Personarum nominibus Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, & Spiritus Sanctus ad utrosque refertur &c.* In Con- cilio Florentino Joannes Theologus sess. 18. *Sola,* inquit, *Relatio apud omnes, tam Græcos, quam Latino- s Doctores Divinâ Processione Personas multiplicat.*

Concilium Toletanum II.

Joannes Theologus.

S. Augusti- nus.

S. Augustinus lib. 5. de Trin. cap. 5. sic habet: *Esse Patrem, & esse Filium, non secundum substantiam dicuntur, sed secundum relativum.* Plura videri pos- sunt apud Suarez libro quinto de Trinitate capi- te primo.

II. *Hæ Relationes in divinis sunt reales.*

Hæ porrò Relationes in divinis sunt reales, utpote per quas divina Personæ producunt, & producantur, Pater exempli causâ generat, Filius generatur &c. Et nisi Relationes forent reales, Personæ divinæ non distinguerentur realiter, cum

per eas distinguantur; in divinis siquidem omnia sunt unum, ubi non est Relationis oppositio.

Nec reales tantum sunt hæ Relationes quoad esse in, seu ex parte quasi subjecti, sive prout in- sunt, & identificantur cum divinâ substantiâ, sed etiam quoad esse ad, seu prout una Persona respi- cit aliam, ut contra Cajetanum hic, & Capreo- lum docent communiter Theologi, ut videre li- cet apud Molinam 1. p. q. 28. art. 1. Suarez hic, lib. 5. cap. 1. Vafq. 1. p. disp. 114. & alios. Ra- tio autem est, divinæ enim Personæ sese invicem respiciunt realiter per hæc Relationes, sed non quatenus habent esse in, hoc enim prædicatum commune est omnibus attributis, cum omnia in- sint, seu identificentur cum essentiâ: ergo per has Relationes se respiciunt, quatenus habent esse ad, quod est propriissimum prædicatum Relatio- nis. Deinde oppositio inter Personas, est realis, & affert inter eas distinctionem realem; sed op- ponuntur per prædicatum esse ad in Relationibus repertum, per hoc enim habitudinem dicunt, & sese invicem respiciunt Personæ: ergo.

Quæres, Relationes istæ in divinis, sintne præ- dicamentales, an transcendentales? Hic cuique conformiter ad principia in Philosophiâ stabilita procedendum: Cum ergo Disp. II. Metaph. sect. 2. num. 5. 6. & 8. in hoc relationem transcendentalem à prædicamentali differre dixerim, quòd transcendentalis sit ipsa entitas rei, quæ ad aliud refer- tur, unde non rem aliam, sed seipsam refert ad ter- minum, relatio verò prædicamentalis, rei jam constitutæ adveniat, & fundamentum à se realiter distinctum

V. *Videntur plures in Deo esse notiones quam quinque.*

Inspirabi- litas in Filio, & impropria, & Divina in Spiritu San- cto videtur esse notio.

VI. *Peculiaris est ratio, cur Inmascibi- litas sit notio.*